



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 137. Cardinalis Lotharingii obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

cunctis etiam Aulicis pium Regis sui exemplum sequentibus.

Sæcul. XVI.
A.C. 1574

§. CXXXVII.

Cardinalis Lotharingii obitus.

Pariter Cardinalis Lotharingius hisce supplicationibus interesse voluit, seque numero illorum Sodalium, qui violaceas gestabant vestes, aggregavit, cum autem quondam ejusmodi exercitio vacaret, morbo correptus, ne sacri hujus ritus tranquillitatem turbaret, secedere noluit, domum vero redi-
 dux aucta mali vehementia etiam insolito quodam frigore horrere cæpit, ac succedente febre tanta vi obruebatur, ut amisso rationis usu tandem die Dominica vigesima sexta Decembris circa horam quintam matutinam decederet, anno ætatis suæ ferme quinquagesimo primo; natus enim erat Mense Februario Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Hic idem anno priori Mussiponti in Lotharingia Universitatem erexit, ac Jesuitas, qui ibidem literas traderent, accersivit; quippe inter ceteras, easque omnino raras animi dotes, quibus inclaru-
 erat, semper in eo eminebat ingens literas restaurandi studium: præterea erat ipsemet sat eloquens, & semper in sermonibus suis mira verborum gravi-

*Mem. l. c.
t. 1. p. 48.*

Sæcul. XVI. gravitate, & majestate clarus, atque
 A. C. 1574. insuper in rebus gerendis tam sacris,
 quam profanis mira dexteritate excel-
 lens: unde negotia vel maxime ardua
 ad optatum exitum deducebat, & quo-
 tiescunque in congressibus suam pro-
 ferebat sententiam, ea ob notam in-
 genii sui aciem prævaluit, sique tem-
 poris, quo studiis vacare poterat, an-
 gustiæ perpendantur, prorsus stupen-
 dum videtur, quod nihilominus tam
 ampla eruditione inclarescere potuerit.
 Obiit non sine maximo Catholicorum
 luctu, cum econtra Protestantes, qui
 eum tanquam hostem suum maxime
 formidandum abominabantur, de ejus
 morte tripudiarent, ejusque famam
 pluribus calumniis proscindere non e-
 rubescerent: negari tamen haud potest,
 quod præclara Ecclesiæ, Regnoque
 obsequia præstiterit, totoque vitæ suæ
 tempore pro Religionis Catholicæ con-
 servatione immotum exhibuerit stu-
 dium, quamvis suspicarentur nonnulli,
 quod nonnunquam ambitio, suamque
 familiam altius evehendi cupiditas
 hunc Zelum magis accenderit. Fer-
 tur quoque, quod Regina Mater eadem
 die, qua Cardinalis obiit, mensæ ac-
 cumbens dixerit: „nunc pace fruemur,
 „quia mortuus est Lotharingus Cardi-
 „nalis; ille enim pacem præpediisse di-
 „citur

*Addit. aux
 mem. de
 Castelln. t. 1.
 pag 280.*

Sæc. XVI.
A.C. 1573.

„citur, quod tamen a tam præclaro,
 „ac prudenti Præsule credere haud va-
 „leo, in cuius obitu tota Francia, nos-
 „que omnes plurimum amittimus.„
 Eadem die Regina Præsuli, quem a
 Confessionibus habuit, dicebat, quod
 omnium hominum nequissimus obierit,
 unde patet, quod ipsa Cardinalem in
 publico colloquio multis elogiis hono-
 rarit, privatim autem multa probra in
 eam congefferit: porro hæc opinionum
 varietas, quam Regina Mater prode-
 bat, adscribi potest insolito cuidam e-
 ventui; fertur enim, quod Regina
 mensæ assidens, cum bibere vellet, tam
 vehementi terrore correpta fuerit, ut
 vix non vitrum illi e manibus excide-
 ret, exclamans: „Jesus! Jesus! Lo-
 „tharingium Cardinalem video,„ postea
 vero animum recipiens addebat. „Sa-
 „ne mira res est metus! Mentiar ego,
 „ni viderim sanctum hunc Virum mihi
 „adstantem, atque pergentem ad Pa-
 „radisi gloriam, quin imo mihi videtur,
 „quod ipsum ad cœlos ascendere vide-
 „rim.„ Postea per plures noctes Re-
 gina, quod Cardinalem coram adstan-
 tem cerneret, sibi imaginabatur, nec
 ejus memoriam e mente sua abjicere
 poterat, prout illæ testabantur Ma-
 tronæ, quæ Reginæ a cubi-
 culis erant.

